

Qt. 527,8.

B. m. II

In
9124

DE
IOHANNE SCHWARTZ
BERGICO

VIRO PACIS PARITER ATQVE BELLICIS
ARTIBVS INSIGNI
COMMENTATIONEM

AD IUVENES ILLVSTRIS. ET GENEROSISS.

DOMINVM

LVDOVICVM THEODORVM

S. R. I. LIB. BAR. AC BANNIFERVM

A WOLZOGEN ET NEVHAVSS

ILL. ORDINIS IOHANNITICI EQVITEM DESIGN.

DOMINVM

CHRISTIANVM GVILIELMVM

S. R. I. LIB. BAR. AC BANNIFERVM

A WOLZOGEN ET NEVHAVSS

ECCLESIAE ARCHIEP. MAGDEBVRGICAE CANONICVM
DESIGN.

CVM ILLOS FINITO PRIMO STVDIORVM IN ACADEMIA
STADIO AD COMPARANDAM EX HISTORICIS PRVDENTIAM CIVILEM HORTARETVR
ATQVE VIRORVM VIRTVTIBVS IINVSTRIVM

NOTATIONES IN EXEMPLVM ILLIS EXHIBERET
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
MENSE SEPTEMBRI A. O. R. c1o1o ccxxvi.

PROPOSVIT

IOHANNES FRIDERICVS CHRISTIVS

SERENISSIMI SAXONIAE DVICIS FRIDERICI GVILIELMI DITIONEM COBVRGO-MEININGICAM
TVTORIO NOMINE REGENTIS AB EPISTOLIS SANCTIORIBVS ET ILL. WOLZOGENIS AD ACADEMIAM DATVS COMES

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HENDELII.



IOH. FRID. CHRISTII
DE
IOHANNE SCHWARTZENBERGICO
COMMENTATIO.

CONSPECTVS.

§. I. Ratio studiorum per hanc aetatem. Huius Academiae Icti laudati. Quae dignitas disciplinarum? quae falsa philosophia? qui in vera gradus, & quo ordine discendum? Epictetus, Simplicius, Arrianus & Hier. Wolfius laudati. nostra praelegendi ratio. II. Ad prudentiam civilem transitus. muniendus historiarum cognitio. Virtutis amor exemplo provocatur. id proponitur optime per characterismos, atque per imagines virorum illustrium. eae quomodo sint conquirendae? quidne in colligendo vitandum? Ioh. Schwartzenbergici exemplum proponitur. III. Annus natiuitatis & Parentes eius. IV. Educatio. Palaestrae opera data. exinde callosus. manu strenuus; pacis tamen studiosus: nec crudelis. litteris Germanicis eruditus. cur non & Latinis? Philosophiam deamauit. Graphicen calluit: quae eruditis necessaria. V. Munera eius militiae atque domi. prima constitutio criminalis in Germania eius suasse & opera perfecta. Singularia quaedam de hoc libro. VI. Matrimonium. liberi ex eo. Henninges notatur & Imhofius. Paulus Schwartzenbergicus laudatur, eiusque praeceptor Helius Eobanus Hessus. Iter Iohannis nostri Hierosolymitanum. Obitus. VII. Scripta eius. de Ciceronis officiis Germanice versis quaedam; atque ex iis specimina. Artifices quidam, Durerus, Burckmaier, Scheuflin, Breßank, laudati. plura in indice pictorum edendo. ingeniosae, quae commentus est Iohannes noster, icones: & epigrammata satis acuta. VIII. Virtutes viri eximiae. industria summa. auiditas seruata. epitaphium a Ioach. Camerario positum. IX. Corporis robur & proceritas. vultus honos. De effigie eius quaedam atque de Dureris. X. Adhortatio ad exprimendam eandem virtutem. conclusio.

§. I.

Primum iam decursus academici stadium, iuuenes generosi, prope finiuius. Non enim in litteris elegantioribus tantum diligenter vt ante estis versati; sed & ex iure Romano *institutiones*, vt nouos Iustinianos decuit, praeunte per hanc aetatem iuris peritissimo BOEHMERO, viro sane cum antiquis illis Papinianis, non eruditionis constantia minus, quam integritate morum, comparan-

A 2

paran-

parando, iterauistis atque edidicistis: nihilque plane ad percipiendas iuris eius rationes reliqui fecistis. Vt taceam hoc loco impensam a vobis *rei litterariae* operam & *historiae Germanorum recenti*, apud summos vtrinque viros: alterum veteri omnis atque recti sine exemplo vindicem: alterum historiarum omnis aevi industrium maxime, si quis alius vnquam, indagatorem. THOMASIVM agnoscitis atque LVDEWIGIVM: quos & si tacuissem, nemo tamen nesciret. Hos ergo doctores sectati estis, & caetera huius academiae lumina, uti nostis, ita quin deinde iis etiam assidere maximopere velitis, quod certe, nisi quid secus accidat, vestro cum emolumento fiet, ego vero non dubito. Post tales autem viros digna vix sunt, ut memorentur ea, quorum vobis e nostris sermonibus per hosce menses facta fuit copia, inter quae *iura historiam*, atque *rei Romanae cognitionem antiquariam* vel vno verbo indicasse sat erit. Verum haec omnia peregrina veluti sunt & extranea, nec cum eis quae penitus ad nos pertinent, Philosophiam intelligo, virtutum atque morum, qui sapientem efformant, magistram, vlllo modo comparanda. Sine ea enim doctrinarum principe, quicquid addiscitur, stulticia est. E contrario, quae sapientia nititur, ea demum optanda est eruditio. Hanc igitur, meo suasu, familiarem vobis plane reddidistis: spretis quidem, quae sub probabili philosophiae nomine passim circumferuntur, difficilibus nugis; anxiam magis eius quod verum est inquisitionem, quam ipsam honesti naturam, certis actionum regulis, omni vita exprimendam, ob oculos ponentibus. De eo videlicet vobis plane persuasum esse puto, quod praecipuum sit institutum, dispicere primo,

I. quod praecipuum sit institutum | *mentario ad hunc locum pag. 215.*
 Debemus id genus meditationes E- | & ARRIANVS in *libris ad Lucium*
 PICTETO nostro, qui paullo aliter | *Gellium de Epicteto, Libro I. cap.*
 haec eadem proponit cap. LXXVI. | *XVII. pag. 76. 77. 78. seqq. cap. XXII.*
 Iungendus SIMPLICIVS in *com-* | *pag. 82. 83. Item Libro II. cap. XIV.*

mo, *quid sit agendum?* deinde non aequè nobilis quæstio est, *quare honestum sit obseruandum?* post, minoris etiam momenti est, *quaerere, quomodo id possit demonstrari? quibus argumentis quæ contra dicuntur diluenda?* Vltimum tandem ac necessarium magis quam liberale negotium est, in his occupari, vt peruideamus plane; *quis sit demonstrandi modus? quæ in argumentis conuincendi vis? quid verum? quid falsum? & quæ vtriusque notæ?* Quæ vltimæ partes, cum sint propter illam primam atque nobilissimam, turpissimum est in his adeo diffidentes haerere; vt ad ipsam metam vel sero vel nunquam, quod plerumque fit, peruenire detur. Proinde semper ego censui, vt omnis philosophia ad agendum, nec ad differendum, est accommodanda; ita logicam & physicam posse quidem, in aliquo de vniuersitate disciplinarum quæ ad sapientiam decursu, leuiter, id quod & nos fecimus, percenteri: verum, si qua penitus ediscenda accurate proponuntur, tum a philosophia morali atque theologia, posthabitis illis, plane esse exordium sumendum. Id nisi feceris, ea quæ docentur vsui non erunt, & discipulos tuos ad veram philosophiam aut nunquam, aut tum demum adduces, postquam inter illas praeceptorum vanas demonstrationes, (vt fert hominum conditio, sine perpetua virtutis institutione vitam degentium:) malis moribus plane inuoluti, ad imbibendam honestatem

A 3

tem

vbi pulchre contra eos disputat, qui, vt hodieque fit, historicam sententiarum inter philosophos cognitionem, seu *historiam philosophicam*, pro ipsa philosophia amplectebantur. *ib. cap. XXV.* vbi eleganter & breuiter monstratur, logicam esse necessariam: quod & nos vtique concedimus: sed cum propter se ipsam minime expetatur, illa prop-

ter quæ differitur, præ differendi arte negligenda non sunt: nec heic magis quam ibi morandum est. Vterque sane euolui atque legi dignissimus, nec prætereundus in annotationibus ad ea loca *Hier. WOLFIVS*, vir plenus eruditionis atq; bonæ mentis, mihi quidem, ob minime fucatum eius in sapientiam studium, semper habitus in deliciis.

tem obduruerunt. Id quod passim e praepostera docendi ratione contingere videmus. Hos inquam errores cum nosmet cauere niteremur, id haecenus egimus, vt in animis vestris, iuuenes generosi, vna virtutum omnium imago exprimi posset. Eum in finem audiuitis hac aestate **EPICETVM**; audiuitis **THEOPHRASTVM** in morum egregiis notationibus; audiuitis interdum **SENECAM** etiam: audiuitis *oratores, poetas, historicos*: in quantum ad noscendam virtutis pulchritudinem & vitiorum deformitatem vilia conferrunt: atque iam nunc in eo estis constituti, vt ad ciuilem prudentiam, ne sit nullus eruditionis vestrae in republica vsus, via vobis sterni facile queat.

II. Ante vero quam ad *politicae* plenam cognitionem traducamini, monendos vos esse censuimus, quantopere conducatur, si cum hisce doctrinis perpetuam coniungatis exemplorum, quae historicorum scriptis proponuntur, contemplationem. Illud autem facillimum est, quando quae sit virtus, & quam varia vitiorum natura, cuius rei haud perulgata est nostro tempore peritia, dignoscere adcurate didicistis. Proinde quo facilius ad id pulcherrimum studium vos permoueam, exhibendae sunt interdum speciosae virorum virtutibus insignium imagines, atque notationes, quae vos exempli pulchritudine ad imitandum plane pelliciant. Quod vti nostis haud raro esse a me, cum icones inlustrium artificio-

II. *icones inlustrium artificiosissimas*) Exemplo **VARRONIS**, vt testis est **PLINIUS**, in *historia naturali Libro XXXV. cap. II.* atque etiam quorundam huius seculi eruditorum, conquisiuimus & nos, e virorum illustrium imaginibus, quae quidem aut aere caelato aut ligneis interdum typis chartis impressae

atque publicatae sunt, centurias ad minimum XV. Omnes autem icones fide dignissimas, a pictoribus & optimis, & eorum quos pinxerunt aequalibus, atque etiam a caelatoribus eius temporis, arte sua peritissimis & adcuratissimis, ex *negotiorum* profectas, colligere annisum. Secus enim si quis fecerit,

ficiosissimas, cum elogio singulorum, e museo nostro spectandas proponerem, facilitatum: rebar enim imaginum admiratione animum ad virtutis imitationem incitari perfacile: ita hoc etiam tempore non effigiem tantum viri suo merito praeclari, sed & eas laudes, eos mores, atque eam vitam ob oculos vobis constituere annitar, quam plane ad vosmet transferre, & si in iisdem vestigiis persistatis, eandem vobis gloriam, eadem genti vestrae ornamenta, quae illi & posteris eius contigerunt, promittere certe possitis. Praesertim cum Wolzogeniorum nomen iam per se sit inlustre, atque in vobis, ingentibus meritis, parentis prudentissimi, (quem superstitem esse quam diutissime iubeat Deus T. O. M.) atque iustissimi, proavorum etiam, honoribus gestis, litteris excultis, bellica virtute, principum familiarum affinitate, clarissimorum, satis quidem spectabile. Quam ob rem & domestica possunt exempla, quibus quidem cognoscendis non superfedimus, eandem in vobis cupiditatem laudis excitare. Sed illa alio: hoc certe tempore inspiciemus, ut non gentile decus, ita nec peregrinum. Qui enim & Genere nobilissimus, & Germanus, & Francus, & virtute clarus, & eruditus vobis peregrinus videatur; qui ne humani quidem quidquam alienum putare didicistis? Quibus autem artibus antiquissima *Schwartzenbergiorum* gens ad splendorem eum, quo praefulget hodie, processerit: vos quidem rectissime cognoscere poteritis, e vita viri ex eius maioribus, multis nominibus inlustris, sed antiqua virtute magis etiam, quam reliquo splendore, commendabi-

nec primorum exemplarium habeat rationem, transumpta quaevis corrogando, quod iis contingit, qui ignorant artis pictoriae, aut historiam, aut rationes; nihil profecto is ager: sed monstra atque somnia pro iconibus amplexabitur, in quibus,

nisi veritas arte constet, nihil est egregium.

III. *antiquissima* Laudem enim antiquitatis *Seinsbemi* olim tuebantur, vid. *IMHOFIVS in notitia procerum imperii Libro V. cap. X. §. 1.*

dabilis: quod & manu strenuus, & litterarum studiis, si quis alius, summo fuit amore deditus. Discite igitur, ni molestum est, erit autem certe voluptati, laudes eximias IOHANNIS, quem historici FORTIS agnomine designant, *L. Baronis a Schwartzenberg & Hohenlandsberg*, easque adeo mentibus vestris inhaerere patimini, vt eiusdem pulchritudinis exemplum vita exprimere valeatis. Erunt autem quae de viro illo in medium proferam, pauca quidem, nec nisi breuibus pro instituto dicenda, veram pulchra, nec vulgo protrita, & vsui certe futura.

III. Natus autem est heros noster, quo nomine quin illustres viri, atque virtutibus maxime conspicui, possint insigniri, dubium non esse puto, eo tempore, quo artes bonae atque litterae renasci in Germania nostra videbantur; anno videlicet, siquidem recte ego rationes subduxi, a nato Christo cō CCCCLXIV. Quanquam enim id aut ignorent historici, qui stemmata familiarum inlustriam exhibent, quos nos quidem euoluimus, aut certe negligant; in procliui mihi tamen fuit ex anno decessus e vita, iuncta eius aetate, qua fati cessit, cum haec in fide dignissima eius imagine, de qua infra, notata reperirem, nascendi tempus quodammodo colligere; quae ratio, nisi vno fortassis anno, fallere non potest. Parentes habuit SIGISMVNDVM *Baronem a Schwartzenberg & Hohenlandsberg*, atque EVAM *Comitem ab Erpach*. De quibus cum haud plura qui ad manus sunt historici memorent, ne nos quidem, vel si libeat, possumus.

IV. Educatio haud dubie dignitati gentis, & virtutibus, quibus postea enituit, conueniens ipsi contigit. A decimo quarto aetatis anno, vt ad consequendas bellicas laudes, ex more

& manu strenuus &c.) Sic etiam IMHOFIVS *ibidem* §. VII. *belli & pacis artibus instructissimum* appellat. Plane ex veritate, quod

haec nostra commentatio vbique ostendit.

IV. *A decimo quarto aetatis anno*) Testatur id Praefatio elegans

more equitum id temporis, mature pararetur, *palaestrae* gnauiter operam dedit. Vsque adeo quidem, vt e perpetuo armorum vsu, & cataphractae in ludis equestribus, quibus frequenter interfuit, gestatione, callum in tantum contraheret; vt ostentui propterea quibusdam tum esset: quod cutis eius viri in quibusdam corporis partibus cornea plane videretur. Quibus in rebus cum pulchrum esset versari; pulchrius tamen, opinor, fuit; quod animus eius, per bellicas has exercitationes, ne minimum quidem ab innata mansuetudine & clementia, ad militarem crudelitatem & saeuitiam, id quod

B

ple-

quae in Schwartzenbergici nostri *Officii Ciceronis, lingua Germanica exhibitis*, quo de libro infra, prior reperitur.

callum in tantum contraheret)

Haud dubie callosus fuit, quem auctor eius praefationis quam modo laudauimus, ex vulgata eo tempore in rebus physicis imperitia, corneum fuisse tradit, & portentum id putat. verbis: Vnd wiewol er auch zu seiner zeit/ ayn vber gemaine mannliche gerade person gewesen/ so hat doch die natur/ ein sonder eufferlich zaychen an im bewysen/ Dann im auff allen seynen fingern Knübel (articulos digitorum intellige, exteriore parte callosos: id autem vnde, nisi a perpetua lanceae gestatione?) hoven gewachsen/ vnd also das er sollich Knübel/ we die negel an fingern beschneyden hat müssen/ vnd wiewol sunst/ vil hürne (cor-

nea cuta obducti homines) gewesen zu sein gedicht und gesagt/ (scabulis nimirum indulget *synaua-576*, caetera candidus Germanica fide, & haud dubie verax. Circumferebant enim illo tempore, fictos poëtice *Sigefridi corni* labores, qui illa cute inuulnerabili tectus cum horrendo serpente depugnauerat, & quae sunt caetera id genus infomnia.) so glaube ich doch/ Das wenig menschen gefunden werden/ Die souil horns (außerhalb aller negel) als er gehebt. Haec ille. Nos autem si causam eius rei ludis equestribus tribuamus, minime, opinor, errabimus.

ab innata mansuetudine & clementia) Idem ibidem pag. 2. Der ort allenthalben ein liebhaber des rechtens/ vnd ein fürderer des frids/ auch ein hasser alles vbel/ sonderlich des Raubens/ gewalts und vnrechts/ gewesen.

plerisque aliis accidit, deuiaret. Tam iustum enim eum atque sapientem praeclara ingenii monumenta, praeter testes grauissimos, ostendunt, ut qui legerit, non deperire mores viri integerrimos sane non possit. Litteris eum probe a pueritia imbutum, & artibus popularibus excultum fuisse, equidem non dubito: quanquam Latinis eum caruisse constet. Quod tamen laudi magis, quam vitio vertendum parentibus eius esse censeo: siquidem illud tempus inspiciamus, quo renascentes in Germania litterae summam philosophiae scholasticae stultitiam, atque eorum, qui eruditi & magistri nostri audire volebant, putidam barbariem, vix oppugnare valebant, nedum proculcare. Proinde, emergente eorum, qui Latinis litteris utebantur, stultitia; incautum fuerit, educandos eis nobilissimos pueros tradidisse; vitiis scilicet atque nugis imbuendos. Germanice autem scribere sciuisse Schwartzbergium nostrum, & versus facere; vtrumque quam aetas illa tulit elegantissime: atque hisce studiis ab adolescentia vacauisse; e scriptis eius, quibus etiam poëtae nomen est consecutus, abunde patet. Graphicen quodammodo, ni fallor, caluit;

Latinis eum caruisse) Idem: Da er nye kein Latein gelernt noch kundt. Vbi de interpretationis librorum e Cicerone, quam Schwartzbergius noster adcurauit, perfectione. Id quod infra dicemus.

Graphicen) quia figuris & delectatus est, & vbique in scriptis suis vsus. Finxitque eas mira sapientiae arte, atque ingenio per vsu poëticae rectissime culto. Inesse enim in inueniendis imaginibus & eruditionis, & ingenii, & acuminis plurimum, nec posse eas efformari sine reprehensione, nisi a plane pe-

ritis: id quidem ignorant nostrae tempestatis eruditi haud pauci: ex imperitia videlicet circa artis pictoriae rationes. Quae res illis eodem modo debebat excutere ruborem, quam si quis litteras didicisse profiteretur, legere tamen ea, quorum maximus est vsus, nesciret. Pictura enim nihil aliud est, nisi scriptura rerum visibilium. Graphicen ergo callere debebit quodam modo, qui inter litteratos aliquo esse numero desiderat. Quod sane ita fuit apud Graecos antiquos & Romanos. Equidem scriptis

luit; quin etiam verae philosophiae vtilissimis praeceptis a puero formatus est. Secus enim si contigisset, tam adcurate de singularum rerum honestate ac iustitia, ut sensit, sentire nequaquam potuisset. Quale autem & quantum fuerit ipsius ingenium, speciminibus quibusdam infra docebimus.

V. His artibus instructus ad rempublicam accessit, atque non tantum sub MAXIMILIANO I. Imperatore in Germania, & extra patriam, non sane gregarius militauit; sed & pacis muneribus praeclarum se praestitit. *Quinque Episcopis*

B 2

Bam-

aliquot circa artium historiam edendis, ad excitandum illud pulcherrimum studium, quantum in me est, lubenter operam conferre studebo.

V. *Maximiliano I.* Cum iuuenem eum militasse, nec senem, credibile sit: dicendum est, sub Maximiliano id contigisse. Siquidem in Caroli Imperatoris tempora non nisi senium eius incidit. Notat militiam eius praefatio, verbis: *Auch Wältschen vnd Teutschen Kriegen/ ansällich beuälcht gehabt ic. Wältsche Kriege* interpretor ego, *peregrina bella*; non *italica*. Wältsch enim oritur ab antiquo vocabulo *wallen*/quod est *peragrarere*, *peregrinari*, *iter facere*, hinc *Wallsfahrten*, *peregrinationes*; *Wältsch* seu *Welsch*/quod est *peregrinum*, *Welsch-Land*, *terra peregrina*, seu *trans alpes*, tanquam antiquissimos Germaniae fines, sita. *Welsch Obst/ poma peregrina*,

Welsche Nüsse/ nuces peregrinae, & caetera, quae libri antiquo illo idiomate conscripti comprobant. Quid si Italica bella intelligere velimus: necesse erit Heroem nostrum post annum *1510*. aetatis *xlvi.*, quo Imperatori Venetum exortum scimus bellum, militasse. At vno iam ante anno *1508*. ut mox videbimus, adcurandae eundem constitutioni criminali Bambergensi, Episcopo addictus, vacauit.

pacis muneribus) Ordine percenset praefatio, quam audiamus: *Dann er bey fünff Bischoffen zu Bamberg/ auch zu Wirzburg bey einem Bischoff/ Hofmaister/ vnd Key. May. (Caroli V. puta absentis, ut supra.) vnd des heyligen Keychs Regiments rath/ ein zeit lang gewesen, vnd als Brandenburgischer Landthofmaister inn Francken gestorben. Annum, quo summae in imperio*

Bambergensibus, atque vni *Wirtzburgensi*, praefectus praetorio lectus est. Deinde *Imperatoris CAROLI V. & Imperii a Consiliis*, seu absente Imperatore summae rerum in imperio cum aliis praefectus. Post a *Marchione Brandenburgico praeses provinciae in Franconia* constitutus, decessit. Quibus in dignitatibus quam egregie se gesserit, ex eo satis apparet, quod e bellicis FORTIS agnomen, atque a domesticis muneribus perfectae suavis eius atque opera primae in Germania, quantum mihi quidem liquet, *constitutionis criminalis*, laudem reportavit. Prodiit enim illa, GEORGII *Episcopi Bambergensis auctoritate Moguntiae A. O. R. clc. lo. viii.*, distincta, satis pro tempore artificiosis iconibus, atque versibus plane elegantibus:

rerum cum aliis praefectus est, addit IMHOFIVS, loco quem indicavimus, §. VII. Videlicet clc lo XXI. quo tempore Noster, ni fallor, Noribergae morabatur. Addit etiam ibi *legationem Prussiacam*, ab eo breui ante obitum administratam. Verum cum Imhofius auctorem suum non laudet: nec ego de ea mentionem factam in aliis reperiam, affirmare hac de re quidquam non sum ausus.

Fortis agnomen) Auctor est IMHOFIVS ibid. & alii recentiores, quos non moramur. Putaverim tamen, hoc agnomen ei non esse viventi tributum: sed postea impositum a stemmatum scriptoribus. Secus enim si esset, *εγνωμας* in praefatione id non tenuisset. Quin tamen omni iure sit meritis, vel si quid maius agno-

mine fuisset impositum, dubium non est.

artificiosis iconibus) numero XXII. omnes rhythmis distinctae, ut pro tempore Gothicam pingendi rationem, artem tamen de caetero praefereunt. Aut Noribergensis artifex quidam, inter quos *Mich. Wolgemuth & Wilb. Pleydenwurff* eo tempore claruerunt; (a *Dureri* enim, illius discipuli, admirando ingenio, haec Gothica longissime absunt:) aut fortassis Ipse noster Schwartzenbergius, adumbravit. Optimo sane instituto is icones hasce legi criminali inferendas suasit, sicut & versiculos: rudi enim plebeculae, si litteras nesciat, vel pictae leges proponendae sunt. Id quod inprimis in poenis indicandis rectissime procedit, ubi terrendis atque monendis hominibus

bus: quod vtrumque IOHANNIS nostri ingenium ac operam, vel si deficiant nos testes, satis ostendit.

B 3

VI Ma-

pictura consultius adhibetur, quam scriptura. Deinde vellicant aurem, quod facile memoria tenentur, versiculi; maxime si legis ipsius verba exciderunt. Institutum id indicavit legis lator, litteris post praefationem maiusculis: **Wir haben auch in diser vnser ordnung umb eygentlicher merckung vnd behaltnuß willen des gemeynen manns/ figuer vnd reymen (nach Gelegenheit der Geseß/ so darnach folgen) ordnen vnd drucken lassen. Titulus autem inscribitur: Bambergische Halsgerichts und rechtlich Ordnung/ in peynlichen sachen zu vollfarn/ allen Stetten/ Communen/ Regimenten/ Amt/ Leuten/ Rögten/ Berwesern/ Schulteyßen/ Schöffen vnd Richtern dienlich/ sündertlich vnd behülfflich/ darnach zu handeln vnd recht sprechen/ ganz gleichförmig gemeynen geschriebenen Rechten/ daraus disß Büchlein gezogen vnd fleißig gemeynen Nuß zu gut gesammelt vnd verordnet ist. in sine habetur: getruckt zu Wens durch Johann Schöffer uff Bartholomei/ im Jahr/ do man zalt nach Christi geburt sunffzehen**

hundert vnd acht Jare. Constat articulis plus CCLXX. haec constitutio: multisque differt a Carolina, quod vel argumento articuli vbi de digamia obseruavi, Copia inspiciendae eius mihi facta est Bibliotheca ciuitatis Halensis publica, a praefecto, viro humanissimo & doctissimo.

atque versibus) Quorum habitus plane talis est, vt in caeteris Nostri libris: sicut & eadem imaginum ratio. Exhibemus specimina. Fig. III. iudex ad lictores:

Gefellen mercket eure Pficht,
Sel und Ere verwürdet nicht.

Fig. VI. ad art. XXVI. von den Sachen daraus man redlich anzeigung einer mißhandlung nemen kan. pinxit laute comissantem plebeculam, inter quos viro-ram alius carceris instrumentis, alius virga, alius gladio, alius furca, alius rota; foeminarum autem altera face, altera culco insignitur. additi sunt versiculi:

Wiel verthun vnd wenig haben,
Zeigt argtewenig dise Knaben.
Zw ubel vil die strefflich sein
Dadurch sy kommen offti in peyn.

Fig. X. vbi iudicium publicum praesentatur.

Nicht wie nach dieses Buches leer

VI. Matrimonio sibi iunxit anno circiter clo. Io LXXXV. postquam xx. suae aetatis impleffet, KVNIGVNDAM Comitum a Rieneck, feminam fertilitate conspicuam. Quae prima feminarum laus, excusabit, si caeteras etiam, scriptorum aequalium, non meo vitio, memorare non possum. Suf-
 licet ex illa liberos xii., vitales autem omnino octo. Tres videlicet

Domit verwarn wir sel vnd ere.
 Forcht, vnseyß, veyndtschafft,
 gunst vnd gab

Von recht vnd warheit füret ab.

Fig. XII. vbi pingitur supplicium de aliquot damnatis sumtum.

Wem treue straff nie bringet
 frucht

Der kumpf dich in des meysters
 zucht.

Des werck vnd zeug wird hie
 anzeygt

Wol dem der sich zu tugent neygt.

Fig. XXI. art. 273. qui inscribitur, von alten Mißbrauchen der Halsgerichts. pinguntur iudices habitu stultorum, obuolutis oculis, adiecto epigrammate:

Auff böß gewonheit vrtheil ge-
 ben,

Die den rechten widerstreben,
 Ist diser blinden narren leben.

Qui sane versuculi, pro illo tempore, concinni sunt, atque bona mente non destituti. sicut & infra de illis, qui officiis Ciceronis inspersi, vidimus.

vel si deficiant nos testes,) Est autem testis praefationis auctor, ver-
 bis: vnd die Bambergisch halß-
 gerichtßordnung/ zu der zeit seins

Hoffmaysters ampts dasebst/
 nach rath der geleerten/ vnd
 ander verstendigen zusamen ge-
 bracht ic.

VI. *liberos XII.*) Secutus ego sum praefationem. IMHOFIVS vero XI. tantum. Quod ita verum est, si duodecimus infans nondum natus cum matre periit: id autem colligi posse videtur e praefationis verbis: Vorgenannter sein ehe-
 gemahel/ die er ganz herzlich ge-
 liebt/ am zwölfften kind verschay-
 den ic.

omnino octo) Sic praefatio, quae omnes percauset: vnd ihme acht kinder verlassen/ nämlich Herren Cristoffen/ vnz Bayrischer Land-
 hofmayster/ Herrn Pauffen/ vnz Thumherren zu Eöln/ Bamberg und Wirßburg/ auch Herren Frie-
 derichen/ die all noch leben/ vnd fünfß Töchter/ der eine ein Kloster-
 frau/ die ander/ eim von Gans-
 heim/ Eine eim Freyherrn von Sächß/ die vierdt eim von Laub-
 berg/ die fünfß eim von Seckhen-
 dorf verheyret worden ic. Secus ac

licet filios, CHRISTOPHORVM, PAVLVM, & FRIDERICVM, atque priores breui post mortem Patris honoribus conspicuos. Paulum etiam eruditum, & eruditis amicum. *Filias quinque*. inter quas vna Deo consecrata, caeterae pro dignitate

HENNINGES, IMHOFIVS & alii scriptores, qui filias non tantum, sed & inter filios Paulum, quia caelebs opinor, plane tacent. Nobis autem Paulus, quia eruditus, inprimis erit memorandus.

(*Et eruditis amicum*) speciatim Helio EOBANO Hesso, praeceptorum quondam, cum Noribergae esset cum Parente, aut etiam custodi id tempus dato. Indicauit quodammodo Eobanus elegantissima elegia, qua *Heroidum libros III. editos Hagenoae* clō Iō XXXII. forma octaua, dedicauit, quamque inscripsit: *Ad Generosam & magnificum Dominum Paulum Baronem a Schwartzenberg &c. Herbipolensis & Bambergensis ecclesiarum canonicum, &c.* Patet ex ea elegia, & scripsisse quaedam Paulum, & laudasse in libris suis saepius Eobanum, & muneribus ornauisse; promeritum exinde qui per musam Eobani commendetur aeternitati. Et sane praestitit, quod promittebat. Tacuisset enim Eobanus: ego vero virtutes tuas, Paule, nesciuissem. Quia pulchra est illa elegia, & ad nostrum institutum, licebit pauca

inde excerpere. Orditur autem poeta ille:

*Cum iaceant tristes hac tempestate
Camoenae*

*Nec ferat optatam tristibus ullus
opem*

*Ausus es afflictis tamen esse fidelis a-
micus*

*O decus & gentis gloria Paule
tuae*

*Et cum te tituli decorent & stem-
mata aurosum*

*Et sit imaginibus splendida tota
domus*

*Plus tamen hinc quod amas non ficto
pectore Musas*

*Crede mihi uerae nobilitatis ha-
bes*

*Quae magis abiectae quo sunt & ho-
nore carentes*

*Hoc potior laus est has coluisse
tibi*

*Cum uel honoratas soleam pars ma-
xima uulgi*

*Spernere, nec dignas ducere laude
sua*

*Praecipue clari quos gloria sanguinis
inflat*

*Et quorum ualidae facta tueritur
opes*

nitare elocatae. Ita, vt antequam moreretur, domum suam plus quadraginta nepotibus florentem videret. Quam eximiam felicitatem ei haud aliam ob rem, nisi ob singularem viri iustitiam, tributam a Deo putare debemus. Quin hac fortunae prosperitate excitatus est vir religionis obseruantissimus, vt Hierosolymam ad sepulcrum seruatoris pium institueret iter. A quo reuersus, ex virtute beatitudinis muneribus cumulatus, & praeter curas pro republica, philosophiae litera-

Cum tibi sint & opes, cum sis & sanguine clarus

Nec tamen has partes deseruisse queas

Dignus eras cui perpetua de fronde coronam

Inciperent nostrae meliorem Pierides

Et cum nos etiam praeconia nulla merentes

Laudibus immodicis per tua scripta uebas

Cum decores nostras non tantum laude Camoenas

Verum etiam immeritis aurea dona feras

Dignus eras &c.

Deinde de educato a se Paulo :

Quas igitur tecum primis Heroidas annis

Lusimus, has tecum restituisse libet &c.

Accipe vicina reduces a morte puellas

Ingenio lusum conuenit iste tuo.

Nam quia Musarum puer enutricus in umbra

Numina nunc etiam non puer ista colis.

Et circa finem :

Et Musis sacer & Musarum exercite sacris

Exiguam uates accipe uatis opus &c.

Ex quo etiam poetam fuisse Paulum intelligimus, & proinde a parente in litteris sapienter educatum. Quae sane omnia ad ornandum Heroem nostrum conducunt.

plus quadraginta nep. &c.) Latius intelligendum, vt cum filiis & pronepotes comprehendat. Praefatio: Also Daßer er etlich vnd vierzig Kinder / vnd fünds Kinder / auch fünds fünds Kinder / von seinem leyb eelich geboren / erlebt. Inter ea quae sequuntur etiam plurescula ex illa praefatione deprompta attulimus, nec quidquam affirmare ausi sumus, nisi bono auctore praecedente.

terarumque oblectamenti mersus, feliciter consenuit; atque diem suum obiit Noribergæ anno post natum Christum clo. Io. xxviii. ætatis LXIV.

VII. Scripta viri sunt, eaque plane pulchra, ex quibus & ego illum penitus cognoui, & cognoscet posteritas. Concinnauit autem primo *librum memorialem virtutis*, præcepta versibus & imaginibus exposita continentem. deinde eodem instituto *aduersus compotationes libellum*. post, de qua supra locuti sumus, *ordinationem criminalem*, conscribendam ac iconibus ornandam curauit, condecorauitque versibus suis. Porro Ciceronem aggressus, dedit Germanicam libri *de senectute*.

C

nectu-

VII. *librum memorialem virtutis* Germanico: Memorial der Tugend. Mentionem eius facit, sicut & caeterorum quodammodo scriptorum, laudatæ sæpius præfationis auctor anonymus. Allegat etiam hunc librum, in censu principum inter Germanos poëtarum, sæpissime Anonymus, qui commentarium conscripsit ad celebrem fabulam *de vulpecula Reini-cke*, vti nitida eius editio prodiit *Gottorpii 1592. forma 4.* sequente inscriptione: *Keynecke voss de dse de / nye gedruockt / mit sydhlychem Vorstande vnde schonen figuren / erlichtet vnde vorbetert.* Qua de re quaedam MORHOEIVS *de Poesi Germanorum cap. VII. pag. 637.* qui de caetero illum Schwartzbergii libellum nunquam se vidisse fateatur. Nec mihi obigit, vt in manus veniret.

aduersus compotationes) Nec

hunc vidi. In præfatione: *Ein Buchle wieder das zutrinken vnd andersic.* LIPENIVS in *Bibliotheca philosophica*, sub themate *Ebrietas* allegat: *Johann von Schwarzenbergic. vom Zutrinken. Heidelberg 1584. 8.* quæ posterior est editio.

libri de senectute &c.) Præfatio in genere: *Darzu noch mer ein buch Ciceronis / mit gleycher mühe / verteutschen lassen / vnd wie diß Buch inn zierlicher teutsch gestellt.* At Io. Alb. FABRICIVS in *Bibliotheca Latina* distinctius, *Germanica*, inquit, *libri de senectute, & huius de amicitia verso, auctore Ioanne de Schwartzenberg, cum iconibus ligno incisis prodiit Augustæ Vindel. 1540. fol.* Verum & hanc primam eius haud esse editionem ex eo liquet, quod eos libros ante nostri obitum editos præfatio indicat.

nectute, atque eius *de amicitia* interpretationem, eadem ratione picturis atque poësi distinctam: fortassis etiam *de finibus bonorum & malorum, ac paradoxa Ciceronis*. Postremo edere voluit etiam *officia*, quod opus, anno post natum Christum cōlo 10 xx. perfectum, bibliopolae tradidit. Eius tamen morositate effectum est, vt antequam liber prelo subiiceretur, Schwartzenbergius noster e vita decederet. Proinde anno cōlo 10 xxx., post mortem eius secundo, edi demum alius opera coeptus, atque anno cōlo 10 xxxiii. Augustae Vindelicorum absolutus est. Mirum videri possit, cum Schwartzenbergius

de finibus bonorum &c.) Suspi-
cor equidem: quod Germanice
prodiisse a. 1536. forma quarta re-
perio apud eundem FABRICIVM.

absolutus sit) Hoc titulo: Of-
ficia M. T. C. Ein Buch so Mar-
cus Tullius Cicero der Römer zu
seynem Sune Marco von den tu-
gensamen ämptern / vnd zuge-
hörungen / eines wol vnd recht le-
benden menschen / inn Latein ge-
schriben / Wölschs auf begere Her-
ren Johansen von Schwarzen-
bergs ic. verteütschet / vnd vol-
gens / durch ine inn zierlicher
Hochteütsch gebracht / mit vil Si-
guren vnd Teütschen Neümen ge-
meinem nutz zu gut inn Truck ge-
geben worden. M. D. XXXIII.
Male FABRICIVS in *Bibl. lat.* li-
bro tribuit annum 1532. & IM-
HOFIVS 1535. Aversa Tituli pars
auctoris laudatissimi exhibet pul-
cherrimam imaginem ex *Alberri
Dureri* tabula a discipulo eius

Iob. Burckmaiero ligno incisam.
Sequuntur duae praefationes, al-
tera vitam auctoris, altera institu-
tum circa hunc librum exhibens:
deinde syllabus, quae singulis pa-
ginis habentur, annotans. Ipsa
versio summis rerum ad marginem
perpetuis illustratur. Et singulo
prope capiti imaginem ingeniose
ad explicanda praecepta inuentam,
& artificiosissime elaboratam, ad-
ditam videmus. Debemus has
centum figuras pictori sui temporis
eximio, qui *Durerum* adcurate se-
liciterque imitatus est, *Iob. Schaeuf-
lein*. quasdam tamen ex iis *Iob.
Burckmaiero*. quasdam etiam vel
Durero ipsi. nonnullas fortassis alii
cuidam artifice *Iobanni Bresanck*.
Figura enim LIX. *Dureri* esse plane
videtur. LXXXVI. & LXXXVII.
manum atque signum *Burckmaie-
ri* ostentant. item LXXXVIII. &
LXXXIX. in paucis quibusdam su-
spicor de *Bresanckio*. At caeteras

gius noster Latine non esset eruditus, egisse eum tamen eorum, quae memorauimus, interpretem. Sed haec fuit eius in elaborando

C 2

omnes constat eadem manu esse perfectas, qua imagines in PFINZINGII poemate, quod inscribitur der Eheudank. Has autem auctorem habere illum Schaeufstein, nec ut alii putant Durerum, equidem certo argumento, & siglis illius, liquido reperi. Verum de his alio tempore, in *indice historico ac critico* quem de *pictoribus* promissimus. Cuius imagini additum epigramma, quibus poësis illius seculi nihil exhibuit concinnius: quam ob rem infra quaedam eorum specimina decerpemus. Iam ex ipsa interpretatione, ut liqueat quos nervos habeat, ne nimis longi sumus, nihil exhibemus nisi illos *Ennii de Pyrrho* versus, *Nec mi aurum posco* &c. qui sic Germanice redditi fol. IX. b.

Ich begere kein gelt / jr solt mir auch keines geben / wann wir wöllen nit mit kauff schlagen / als die Weinschencken iren weyn verkauffen / sonder mit waffen / umb das leben / vnd nit umb gelt kriegen vnd streyten / Wir wöllen von baiden thaylen (jr Römer vnd ich) streyten / vnd sehen / ob das glück wölle / das jr oder ich regiere / vnd mit vnser krafft erfaren / was der fall des kriegs

bringe. Weiter sprach Pirrhus / Welcher krafft oder sterck das glück im streyt verschont / der will ich auch verschonen. Darumb fürt eurwer gefangne hin / habbt euch die zu einer gabe zc. In quibus sane verbis caesae illi Ennii venustati parum perit. En tibi etiam epigrammata quaedam.

Figura II. fol. III. pingitur qui capita varii generis animantium cribro secernat ab humanis vultibus, cum epigraphe:

Merck vnser aller höchste zier,
Ist das vernunft zwing böß begier,
Vnd schayd allain dich mensch vnt
thier.

Quod sane exhiberi & Latine meretur, hoc modo:

Nil hominem a brutis temet fecerunt & ornat

Niratio, studii quae moderamen habet.

Quibus in verbis, quorum concinnitatem hisce Latinis non aequae expressimus, quantum bonae mentis sit, etiam praeter adcuratam veracae philosophiae notitiam, fugere neminem poterit.

Fig. III. fol. III. b. praestigiator circumforaneus inter spectatores exhibetur, cum versiculis:

Die wären ding sein vns bekannt,
Dein gaucklerey, die ist ein bandt.

borando ratio. Primum legit officiorum libros a quodam, at parum eleganter, in Germanicum sermonem verfos. Placuit maxi-

Latine:

*Perspicuum simplexque putes,
quod vile, verum:*

*Commendant nugae densa cati-
gne falsum.*

quod quidem & pulchrum est, & verissimum effatum; & vitiam magis hodie vulgo cognitum: ne scilicet qui plurimi sunt, difficultium augurum gestatores, mercium suarum tot inueniant eutores. Orti videlicet sunt hi versiculi ex verbis Ciceronis de Off. L. I. cap. IV. vbi, ex quo, inquit, intelligitur, quod verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Quod Germanice hoc modo noster: Daraus dann verstanden wirt/ was schlecht vnd lauter wer/ Das solchs des menschen natur aller beqvemlichst ist. Vix potuit elegantius.

Figura XIV. fol. XIII. quae pictorem exhibet aurea vasa in tabula adumbrantem, pulcherrima est, & hac epigraphe insignis:

*Ich mal hie gold vnd köstlich
stein,*

*Der zier vnd nutz man achtet klein.
Dem gleich all kunst der weysen
stet,*

So sy nit in die wirtung geht.

Latine:

*Te solum in tabula pinxisse puta-
to colorem*

*Auri: ni quod habes vilitate pla-
cet.*

Fig. XVI. fol. XV. b. viator ex altissimo atque lubrico ponte pendens pingitur, adiecto epigrammate:

*Wer geet auff schmalem ho-
dem steg,*

*Darff das er sorg, vnd weißheit
pflieg.*

*Es schlupfft der kün, vnd weicht
der treg,*

Ein gross gemüt, das recht beweg.

Nil sane dici potuit eloquentius.

Latine quodammodo sic reddam.
*In summo positus semper metuen-
da pericla:*

*Casus & ignaunum occupat, & sor-
tes rapit idem.*

*Quod nisi prudenter meditabere,
stulte, cades iam.*

Fig. XXXVI. Vrfa pingitur sal-
tare ad musicam docta:

*Bey diser gleichnus mercken wir,
Das herscht vernunft vnd volge
begyr,*

*Die darumm prumpt, als dises
thier.*

Fig. XXXVIII. musici exhiben-
tur cythara canentes:

*Den falsch der sarten bald ver-
nimpt,*

*Ein harppfenschlabe dem das
zimpt.*

*Solch gleichnus manchen men-
schen schent,*

Der seyn gebrechen nit erkent.



Pinxit cum Dure-
rus aet. 50. Fatis
conceptit a. 1528.
aet. 54.

Johannis Schwartzbergici verissima imago, Alberti
Dureri, pictoris inter Germanicos facile principis, opus.
Et typo ligneo pereleganti adumbrabat et aeri incidebat
Johann. Frid. Christius, Halae Magd. A. O. R.
cb hccxxvi

Tonno fuit opus viri praestitum et hanc mensuram alicui implerent

Handwritten text at the top of the page, including a name and a date.



Handwritten text at the bottom of the page, including a name and a date.







maximopere libri sententia: stilius displicuit. constituit ergo eloquentius transferre. Hunc in finem dedit sacrificio clienti suo *Iohanni Neubergero* Latine non indocto, ut Ciceronem, quam maxime posset, de verbo ad verbum Germanice redderet. Cum reddidisset, allaboravit noster, ut distinctam hanc interpretationem per singulas periodos, eleganti, concinno, & cohaerente stilo exprimeret. Quod adeo ipsi cessit negotium, praefertim cum & doctissimos in consilium adhiberet, in iisque fortassis Camerarium & Eobanum, ut eloquentius verti Cicero eo tempore a nemine, vel utriusque linguae scientissimo, potuisset. Debemus ergo illi Ciceronem Philosophum Germanice loquentem satis eleganter, atque artificiosissimis iconibus acutisque versibus ingeniose admodum exornatum. Quod sane, quam virtutis fuerit studiosus, ostendit; quo majorem diligentiam in hisce scriptis exhibuit. Obseruo equidem illum de officii Schwartzenbergii librum, cum & rarus haud dubie sit, & plurimis argumentis spectabilis, tanquam *κεφάλιον* inter libellos meos: nec vilo tempore illum inspicio, quo non delectet maximopere, vel emergens e stilo nativa & vere Germana simplicitas, vel versuum acumen & concinnitas, vel mirum in imaginibus, folique nostratum ingenio & naturae debitum, artificium. Sapiunt enim Itali pictores ex antiquitatis Romanae monumentis: at primi inter Germanicos, sola industria opitulante, artem pictoriam ex ingenio suo non tam restituerunt, quam novam inuenerunt. Quae simplex illa diligentia memet prae doctissimis Italorum imaginibus

C 3

nibus

Fig. XLIV. Lepidissima est, & ad signandam Ciceronis doctrinam acutissima. Scilicet pinguntur duae arcae ferreis catenis colligatae: honestatis altera & *iustitiae*, altera *utilitatis*: in quas stulti quidam omnibus viribus, ut separent, incumbunt.

Das erbar hangt dem nutzen an,

Das solchs kein mensch gescheiden kan.

Und wer nit diser wachaye glaubt,

Ist stum kays oder witz beraubt.

Nimis esset longum delicias ultra ex hoc libro excerpere. Proinde lectorem, de eius elegancia ex hac promisside haud dubie satis conuictum, iam dimittimus.

nibus saepius delectat. Accedit opinor etiam, quod in vultibus illius seculi hominum, quippe qui ad fingendum minus compositi, e vestimentis, ex armis, ex ipsa aedium simplicitate denique, probatos proavorum nostrorum mores agnoscere mihi videor. Quae antiquitatis meditatio, quanta me perfundat voluptate, dici vix potest.

VIII. Eximias viri virtutes passim indicavi. Fuit enim vita sanctissimus, iustus, mansuetus, alieni non appetens, minime superbus, atque post legitimum matrimonium, a xxxvi. aetatis anno, ab omni venere abstinens: in litteris autem adeo industrius atque assiduus; vt extra ea quae respublica exigebat officia, omne id tempus a vita sua decedere arbitratum sit, in quo non legeret quidquam aut scriberet. Quem in finem & somno tempus atque coenae saepius coarctavit: vt latius infra in adnotationibus exponetur. Caeteras eius laudes memorare iam supersedeo. Dicat pro me *Ioachimus* CAME-
RARI-

VIII. *saepius coarctavit*) Praeter ea quae supra adduximus, exordium praefationis saepe laudat, quod haec inferatur dignum est omnino. Der wolgeporn herr Johannis Freyherr zu Schwarzenberg vnd zu Hohenlandspurg/ als er ampts dienst/ vnd inn sein aygen sachen mit vilerley geschafften beladen / yedoch alles müßig gehen zuer meyden/ hat er vilerlay (zu andern gewonlichen zeyten der ruo) doch alles allayn zu teutsch geschriben / gelesen vnd gedicht/ Also das er selten außserhalb der notturfft/ des schlaffs vnd des essens/ müßig gehent gefunden worden/ Das er auch dester jlangsammer schlaffen gangen/ dester früer aufgestanden/

vnd eylender gessen/ auch also zu der arbeyt geeylt/ Das er zuvil malen/nach dem essen/nit die außraumung des tischs erwart/ sonder ein teyl des tischtruchs von im geschoben vnd geschriben/ Er hat auch mit verwunderung gehört/so yemants gemelt vnd anzeygt hat/ ihm sey die weyl lang/ vnd oft gesagt/er wolt/ das es Gott gefiel/ das er vngeschwecht seiner natur/ weder essen/ trincken noch schlaffen/ sonder für vnd für schreyben vnd lesen solt/ das er auch vnter zeitlichen dingen/ für den größten wollust/treyben wolt. Quae mira in litteris assiduitas, viri praesertim qui inter vsum armorum adoleuerat, quanta laude digna sit, dici vix potest.

RARIVS maior, vir antiqua virtute & fide, eruditione etiam excultus admiranda: qui in epigrammatis suis perelegantibus hocce Nostro epitaphium posuit.

IOANNI BARONI AD SVARZEBERGAM.

*Viator asta paululum & quod hic scriptum est
 Queso, legito, legisse non pigebit te.
 Hic Suarzepergie decus situm est gentis
 Ioannes, æui tempore ultimo ereptus
 Terris, senili corpore grauis & morbo.
 Vir clarus armis, clarior fide, inuicta
 Promptus manu, sapientia magis promptus,
 Heroica ingens membra, corda diuina.
 Belli arte primus, floridæ prior pacis.
 Pietatis ante cuncta nobis culta.
 Fecere damnum morte res uiri talis
 Ingens quidem cunctæ profecto Germanæ,
 Sed Francicæ potiss. ubi fere mansit.
 Quid te moror multis? Ioanne defuncto
 Virtus fugam spectare cæpit, & credo,
 Quia ubi maneat est nemo, persecuturam.*

IX. Satis opinor locuti sumus, de genere viri, fortunis, viuendi ratione, scriptis & indole; iam ad spectandum eius vultum accedite, iuuenes generosi. Imitati nos sumus Durerum: at quantum artificem quam parum exercitati? Non tamen arbitror vsque adeo male cessisse, vt ex oculis hisce apertis; e superciliis minime sublatis, nec adductis; ex genarum atque oris suauitate; si iungatis nares decore extantes, nec nisi paullum inflexas; barbae dignitatem, & quae laudari solent caetera; intelligere vobis minus liceat, Herois nostri fortitudinem, mansuetudinem, magnanimitatem, grauitatem, iustitiam caeterasque laudes, in quantum eas ex hisce signis colligere fas est. Congruebat autem cum frontis honore membrorum etiam dignitas. Procerus erat ad septimum, ni fallor,


*in epigrammatis) Prodierunt ea | clæ Io xxxi. forma octaua.
 cum Epicediis EOBANI Noribergae | IX. ad septimum) Intelligimus*

fallor, pedem: si geometrarum mensuras sequare. Robu-
tus etiam fuit adeo, vt funes qui vel bouem tenerent facile
dirumperet. Sed haec ad virtutem nihili sunt aestimanda.

X. Proinde non tam formam viri & habitum animis ve-
stris haerere velim, quam egregiam indolem, mansuetudinem,
industriam, caeteras virtutes summas. Imitamini igitur, vir-
tutis studiosi, virtutibus clarissimum: eruditionem qui ama-
tis, litterarum amantissimum & diligentissimum: si genus
spectetis, nobilissimum: si originem, ex Francia orientali
oriundum; vbi & vestra domus, parentis illustrissimi benefi-
cio, iam confedit: si inclutae Schwartzenbergicorum fami-
liae praesentes fortunas suspicere libuerit: recordamini, nisi
molestum est, vbi illi feliciter confederunt, inde vosmet ori-
undos: & potuisse fortassis esse hodieque ibi florentissimam
vestram gentem, nisi religionis obseruantia Wolzogeniis ante
fortunas ponenda semper esset visa. Quoquo ergo vos verte-
ritis, ad virtutem profecto eundum. Quaecunq; spectare
fas est exempla, eo vocant omnia. Ex aduerso praerupta est
vndique via, coeca, nomine vestro indigna, qua ad vitia de-
scenditur, aut potius ruitur. Quin agite: quo enitendum sit
videris: qui hortetur, moneat, subleuet, ad manum est. Ve-
rum ne dubitare videar, quin id, vel si nihil moneam, facturi
sitis: consultum iam est, vt dicendi finem faciam; eamque
curam, ne forte frustra me locutum iudicet aliquando poste-
ritas, vobis, iuuenes generosi, plane relinquam. Quod si age-
tis, habebitis, in quo vtrinque & vos adquiescere, & ego gau-
dere, possumus. Halae Magdeburgicae Mense Sep-
tembri A. O. R. clo. lccc. xxvi.

ide linea, quam infra imaginem, vt
idem factum in antiquo illo exem-
plo, exhibuimus. Haec autem di-
gitum tertium dimidio prope ex-
cedit. Testis est etiam CAMERA-
RIVS, qui in epigrammate, quod
paullo ante adduximus, *Heroica in-
gentem membra* fuisse dicit.

funes dirumperet) Praefatio: Er
hat auch aus geschickter sterck / ey-
nen pfenning strick / daran man
pfllegt die lue zulegen / mit den
henden voss eynander gerissen / der
ding in seyner jugendi / Ritterslich /
Männlich vnd vil triben. Haec
hoe tempore. Vale lector,



St. 527,8

B. m. II

II n
9124

DE
IOHANNES SCHWARTZ
BERGICO
VIRO PACIS PARITER ATQVE BELLICIS
ARTIBVS INSIGNI
COMMENTATIONEM
AD IUVENES ILLVSTRIS. ET GENEROSISS.
DOMINVM
LVDOVICVM THEODORVM
S. R. I. LIB. BAR. AC BANNIFERVM
A WOLZOGEN ET NEVHAVSS
ILL. ORDINIS IOHANNITICI EQVITEM DESIGN.

DOMINVM
CHRISTIANVM GVILIELMVM
S. R. I. LIB. BAR. AC BANNIFERVM
A WOLZOGEN ET NEVHAVSS
ECCLESIAE ARCHIEP. MAGDEBVRGICAE CANONICVM
DESIGN.

CVM ILLOS FINITO PRIMO STVDIORVM IN ACADEMIA
STADIO AD COMPARANDAM EX HISTORICIS PRVDENTIAM CIVILEM HORTARETVR
ATQVE VIRORVM VIRTVTIBVS INLVSTRIVM
NOTATIONES IN EXEMPLVM ILLIS EXHIBERET
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
MENSE SEPTEMBRI A. O. R. c1o1o ccxxvi.

PROPOSVIT
IOHANNES FRIDERICVS CHRISTIVS
SERENISSIMI SAXONIAE DVCIS FRIDERICI GVILIELMI DITIONEM COBVRGO-MEININGICAM
TVTtorio NOMINE REGENTIS AB EPISTO-
LIS SANCTIORIBVS ET ILL. WOLZOG-
NIIS AD ACADEMIAM DATVS COMES

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HENDELII.